

STOBAEUS, NILS

Genethliacon. In augustissimæ & potentissimæ principis, Ulricæ Eleonoræ, suecorum, gothorum, vandalarumque &c. reginæ clarissimos natales. Jam luce tricesima prima, plaudente patria, redeuntes. Die 23

1720

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

1720

Stobæus, N.

6 F. 342

Vit. S. 2.
Vers. Kgl.
(Rij)
U. 82.

GENETHLIACON.

1700-1829
1720

In

AUGUSTISSIMÆ & POTENTISSIMÆ
PRINCIPIS,

ULRICÆ
ELEONORÆ,

Suecorum, Gothorum, Vandalorumque &c.
REGINÆ

CLARISSIMOS NATALES.

Jam

Luce tricesima prima,

Plaudente Patria,

Redeuntes.

Die 23. Januarii A:o MDCCXX.

Conscriptum,

Et eodem festo.

In Palatio Equestri, quod Holmiæ est,

Publice recitatum.

à

NICOL. STOBÆO.

Ex officina JOH. LAUR. HORRN, S:Æ R:Æ MTIS
Antiquit. Archivi Typogr.

J. Palmcreutz



Celsitudini suæ Regiæ.

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO

PRINCIPI & DOMINO

F R E D E R I C O

Landtgravio & Principi Hasliæ Hæreditario,

Duci Hirschfeldæ, Comiti Catimeliboci,

Dietzæ, Ziegenheina, Niddæ,

Schauenburgi &c.

Regni Sveciæ Generalissimo,

Domino suo Clementissimo.

Genethliacon Hocce,

Magnis

AUGUSTISSIMÆ ac POTENTISSIMÆ

PRINCIPIS & DOMINÆ

U L R I C Æ

E L E O N O R Æ

Suecorum, Gothorum, Vandalorumque &c.

REGINÆ,

NATALIBUS

Sacrum.

Subiectissimo devotionis cultu

Dicat.



Aspice conjuncti PRINCEPS, Tibi sideris ortus,
Quodque Dea crevit Conjuge, Vatis opus.
Cresceret, & totum spatium prope vinceret orbem;
Equaret tante, si modo laudis opes.

*Non alia est mundi moles, non machina cæli,
Non Jovis ipse alia, luditur arte labor.
Quod magnum est illic mentemque & lumina mergit,
Hic parvum, atque oculos, commoda imago subit.
Divinos radios, vultu huc deflecte sereno,
Sitque Tibi in pretio, fascia prima Deæ!
Præcedunt thalamis cunæ; nascique necesse,
HEROS, Reginam, quo fruereris erat.
Felices, Faustumque toris cælestibus omen,
Cunæ! ULRICA Tibi, nata Gothisque fuit.
Felices Thalamique Gothis; Illique Tibique!
Conjuge uterque alias, nam foret absque pari.*

Celsitudinis suæ Regiæ

*Devotissimus subjectissimusque
Cultor & Servus
NICOL. STOBÆUS.*



Ognatas cœlo cunas, & Diva labores
Jam cœlis excepta tuos, ULRICA, novumque
Lumen, & exortum, fatis melioribus astrum.
Dicere fert animus: Tu sed mitissima Princeps;
Cujus ut augustos festinus cerneret ortus
Phosphorus, emicuit cœlo properantior alto
Purgatumque diem nebulis, labentibus astris,
Tradidit urenti jam summa cacumina Phæbo.
Da mihi Te facilem, vultuque o Diva sereno,
Huc ades; inceptumque una decurre laborem.
Seu folio jam celsa sedes, manibusque verenda
Sceptra teris; capiti radians superimminet aurum,
Et suspensa graves rerum moderaris habenas.
Stant circum insomnes curæ, vigilesque labores,
Tum Patriæ regnique salus, arcanaque longo
Ordine fatorum series, suspiria gentis
Densa Tuæ, & rorans querulis ploratibus Arctos.
Seu curis fessam regalibus excipit, atque



Adurgens Dominæ festivis plausibus aula,
 Deciduis sacros tergit sudoribus artus.
 Seu thalamum ingrederis dilecti Principis, ostro
 Quem stravit Cytherea suo, quem fulgida velat
 Eos, & fragrantem late spirat amomum.
 Aligeri circum, densis glomerantur amores
 Agminibus, volitant innoxia tela retentis
 Nervis, & placido componunt membra sopore.

Effudit cunctas, in Te, ditissima dotes,
 Magna Parens rerum Natura; quod omnis amabit
 In Te struxit opus, semper mirabitur ætas,
 Exhaustæque artes augusta in imagine cunctæ.
 Mortalis, nostræque infra Te culminat ipse
 Conditionis apex; quodque es spectabilis, unum
 Te finit esse hominem, concordant cætera Divis.

Virtutum graderis sic undique cincta cohorte,
 Et quo Te infers Diva, loco, comitantur anhelò
 Cælo accepta gradu pietas; sine sordibus alma
 Relligio, nitidis probitas scintillat ocellis,
 Majestas frontem sequitur, quam temperat ore
 Cælesti residens blandum clementia numen.
 Justitia fœtum pectus; manus altera lances
 Dum librat, legesque armat, data jura tuetur,
 Altera sed meritos inter sua munera spargit.

Ast procul impietas, & fœda licentia seclì,
 Numina nulla putans, vel nostri nescia fingens.
 Exulat improbitas cædumque nefanda libido,



Aufugit ad stygias relegata, unde orta, paludes.
Stat luxus populator opum, vinctusque catenis
Exululat; solitæ & jam non nisi viscera pompæ
Impensurus habet; pransum quoque ruminat aurum
Auri sacra fames, & opum furiosâ cupido.
Vertit terga nefas; alioque in cardine mundi
Damnosas tenditque plagas atque explicat unguës.
Ac velut exorto, nimborum examina Phæbo,
Quæ nox in densas jussit coalescere nubes,
Jamque hiemes tristes, jam fulmina dira minantur,
Oceani pars ima petunt, fluctusque marinos
Augent, pars, vasto mox immoriuntur inani.
Sic vitiorum acies, labisque examina fœdæ,
Augustæ fugiunt dispersæ sidere, nostras
Turmatimque levant & pondere & omine terras
Ferali, repetuntque orcum sedesque paternas.

Sed precor ignoscas, Vati, Dea, carmine inani,
Quodque nimis levibus verbis, præconia Vestri
Numinis aggrediar, laudesque Augusta tuarum
Virtutum, tenero nimium nunc pollice tentem.
Materies, si quæ, Smyrnæo digna cothurno,
Et calamis, Andine, tuis; male flumina ripis
Angustis, majora fluunt; nec continet undas
Alveus, atque ægre montes volvuntur aquarum
Exiguo inclusi spatio; sed concita spumis,
Immani pulsant obstantia litora mole.
Me tamen induxit pietas, temeraria forsan;

Sed



Sed nulli cessura pedem, devotus & ardor
 Numinibus Regina Tuis. Hic junxit avenam
 Aptavitque fides, nullumque silenda per ævum
 Balbutiente licet gestit vulgare susurro.

Tu quoque, Svecorum magnum decus addite rebus
 PRINCEPS, Hassiacum quo multum sidus alumno,
 Et Cassela tumet; nostri spes altera regni,
 Palladiumque poli descendens vertice nobis.
 Augusti Consors thalami; Quo sospite nunquam
 Moschorumque faces inimicaque tela timemus;
 Herois tanti auspiciis, tectique sub umbra.
 Hunc lætum Tibi sume diem. Neu quicquid ab ore
 Egreditur Vatis, Divinæ Conjugis infra
 Laudes, ingeniumque Tuum, cœlestia nube
 Pectora, deformi neu lædat imagine mentem.

Vos etiam Arctoi fulgentia sidera cœli.
 Seu Vobis Orchæstra suos dignissima pandit
 Lata sinus, & Vestris felix Svecia floret
 Consiliis, armisque viget. Tyrioque refulgens
 Murice, circum humeros insignis Purpura celso
 Luxuriat, populoque Patres distingvit ab omni.
 Sive fluunt Vobis generoso sanguine venæ,
 Et natale decus, proprio splendore coruscos,
 inserit æternis, clarissima nomina fastis.
 Communem Patriam, sanctas defenditis aras.
 Dilectosque focos & fixa sede Penates.
 Seu Vobis sacræ veneranda oracula sortis
 Imprægnant mentes; vobisque propinquier aura

Adflat



Adflat Sacratas animas cœlestis, & alta
Facundo verbi mysteria panditis ore,
Vosque Togatorum, Sublimis gloria Cives,
Quorum læta læugent regni commercia census,
Aut quacunq; fidem Patriæ ratione probatis.
Consiliis armis, cerebro, calamoque manuque.
Tum si quis peregrino gratus limite cœli.
Hospes adest, arcesque inviserit Advena nostras.
Omnes Augustæ ob meritum sperare benignos,
Et proprii mites Zephyros radiosque favoris,
Audet inoffensis, audacula Musa cothurnis.

Immensus regitur nexis fatalibus orbis,
Et nihil in tota, magno sine numine Divum
Contingit Natura: Ingens rotat orbita stellas,
Et rapitur vastum celeri vertigine cœlum.
Est manus hic manifesta Dei: si fulmina nubes
Sulcent, & rauco reboent montana fragore,
Si tellus concussa tremat, si concita ventis
Æquora, spumosos volvunt ad sidera fluctus.
Sic sortes mandant, & magni jussa Tonantis.
Imprimis sunt cura Dei, quos præficit orbi
Reges, queis ipsi cognata potentia cœlo.
Non temere quemquam regalis purpura velat.
Regibus ipse thronos struxit Deus. Ipse per orbem
Sceptra dedit, propriaque accendit luce coronas.
Pastorale pedum, Sceptro huic mutavit eburno,
Atque aliquem media cinxit diademate plebe.
Depositaque toga vili, hic radiavit in ostro



Sidonio insignis, missisque ligonibus ille
Agresti & cultu, rerum suscepit habenas.

Magnum a stirpe genus, regale & sanguinis ostrum
Fulget in AUGUSTÆ natalibus. Ordine longo
Heroës numerantur avi. Queis ducta propago
Non ævi lassata moris, post tanta senescit
Secula. Non alio splendet plus cardine mundi
Clara domus, quam qua Dea nasceris, ipse fateri
Livor, & illotis spinosa calumnia labris
Cogitur; Arctoi licet ingens gloria regni
Moverit hostiles, rugosa fronte susurros.
GUSTAVOS quis enim, magnorum & nomina nescit
CAROLIDUM, belli tot fulmina, totque per orbem
Semi Deos? Quorum pietas victricibus armis
Æmula, testatur non solo robore vinci.
Hippocreneo labiisne arentibus haustus
Sufficiat de fonte liquor? Majora Poëtæ,
Omnia cum referant, sunt hæc majora Poëtis,
Cum nihil haud fingant. Si gens spectabitur ista
Nil veris æquale dabunt. Non Castalis istis
Unda fat est. Inimicam testor sedibus umbram
Christiarni infernis, Pallentiaque ora Tyranni.
GUSTAVO an quidquam majus sol vidit ab axe?
Solvit ille graves, nostris cervicibus orbem
Vinclornm, gladio fatali, ungesque rapaces
Abcindens Harpyja tuos, dedit ocia terris
Libera Hyperboreis. Tenebris immerfa jacebat



Relligio, toto vomuit furiale venenum
Impietas orco. Tarpeja simia rupe
Fœda DEI, tragico permiscuit omnia lusu.
At pius ERICIDES dispersos undique sanctæ
Collegit lucis radios, tenebrisque remotis,
Diva salutiferi iussit fulgescere verbi
Lumina, cœlestem suspendens orbe lucernam
Ogygio. Patuit subito quæ ducit ad arces
Ætherias, via clausa olim; cœlumque venale
Papicolis, meritis docuit nos quærere nullis;
Sola fides & juncta Dei quod gratia donat.

Longum innexa feris gemuit Germania vinclis,
Cæsareumque jugum cervice exceperat. Ipsa
Relligio dedit afflictæ spectacula sortis,
Et plorans poscebat opem. Venit ocior euro,
Et pacis fractæ indulgens optata Polonis
Fœdera, Teutonicas invasit milite terras
Gotho, tum primum post secula longa reviso,
GUSTAVUS, rigidisque implet tentoria Finnis.
Nec mora vincuntur, fugiunt, sternuntur & hostes.
Exsultat fractis Germania læta catenis,
Relligio templis habitat quoque ruta reclusis.
Excelsa timuit Præful latialis in aula.
Indigno & triplex nutavit vertice gemma
Divinum mentita decus; contentaque longum
Fulmina, Romuleo siluerunt bruta Tonanti.
At Te Teutonicæ vindex fortissime gentis,



Res tantas operumque inter pulcherrima raptum,
Vixque orbi exhibitum, vix septem lustra trahentem,
Abstulit atra dies & funere merfit acerbo.

Autor abest, nullique datum memorabile nomen
Mortis laude Tuæ. Solus sibi vindicat æther
Invidiam hanc, & prona neci Disque æmula virtus.

Quis Mavors PALATINE tuæ miracula dextra
Non stupet, atque parem contra sex tela macharam
Terribilem & clypeum, bellacis dona Minervæ?
Strata armis jacuit jam tota Polonia, sævas
Depositura minas. Jam nostris Sarmata sceptris
Accessurus erat. Gelidis cum lapsa Riphæis
Tempestat furibunda ruit, mox tertius urget,
Tartaricis veniens hostis populator ab hordis.
Objicit infestas Germania concita turmas,
Atque inimica Tibi fulgent vexilla Borussi,
Magne Heros; latere ex alio, rapit obvia Cæsar
Agmina, vicinis Fridericus fulminat oris.
Conjurata volant, inimicis tela lacertis,
Inque caput vibrata unum. Stetit omnia contra,
Circumagens clypèum virtus interrita Regis,
Firmavitque pedem: Qualis Nasamonia rupes,
Sustinet iratum rabidis assultibus æquor.
Aut qualis contra Enceladum movet arma Virago,
Atque Typhoea trucem Pallas. Jacit ille rotatos,
Centimano avullos montes molimine ad astra.
Sed quoties scopulique tonant & territus æther



Finditur, objecta se Gorgone Diva tuetur.
Quid de Te dignum, proles Carolina loquetur,
A decimo primus, tam magni nominis ordo,
CAROLE, devoto tenuis conamine Clio?
Vidit Nissa tremens, Lyddæ videre fluenta,
Ipse Pater Rönnus latis prospexit ab undis
Danorum ingenti prostrantem clade catervas,
Heroem, magno Te vindice Scania mansit
Cimbrorum inviolata jugo. Te tempora lapsa
Viderunt, belloque & longa pace potentem.
Præcipuo doctas quod Scania spectet athenas,
Scanditur & nostro vertex Parnassius orbe.
Est opus omne Tuum. Certet quod Castalis undis
Lydda tumens, quod lata choros jam Tornica ducat
Calliope, plestris vocalibus athera mulcens,
Debetur Rex Magne Tibi. Tua nata, tuoque
Nomine Scaniacis Carolina superbit in oris.

Dic mihi Duna Pater. Largo cur sanguine mistus,
Quoque fluas auctore? Tuas quis pinxerit undas?
Scit Viadrus fervens, & qui tua terminat arva
Sarmata, Carpatiis dimanans Vistula claustris,
Fulmineo quantus CAROLUS surrexit in ense.
Heroi quot claustra patent, quot ceperit arces,
Quas domitas nullo viderunt secula bello.
Scit quoties numero plures disjecerit hostes,
Straverit adversas & aperto Marte phalanges
Moschorum, & retro torquentes tela Cosackkos,



Calmuckosque truces, omnes quis sanguine rorant
 Artus, humanumque bibunt ceu vina cruorem,
 Qualis vicino boreas cum fundit ab arcto,
 Armatas nimbis hyemes, ventoque furenti.
 Fit fragor, incumbit Silvis: Sternuntur & alta
 Sede cadunt frondes, Sternuntur montibus orni,
 Robora sternuntur longos intacta per annos.
 Sic quocunque ruit CAROLUS; simul hostibus ingens
 Incumbit, cursuque pavor suspendit anhelo.
 Et motis versos victoria territat alis,
 Herculis æthereoque micans e fulmine vultus.
 Præcipitant fugiuntque citi, densa agmina, tergis
 Nudatis, toto fruiturque interrita campo
 Virtus, atque hostes ceu falx detruncat avenas.
 Nec tua sunt sævis incognita nomina Turcis
 CAROLE, quem tota rabies Mahometica mole
 Non potuit terrere unum; sed victa pudore
 Hospitii, Regem patriis mox reddidit oris.
 Fumat adhuc domita penitus FREDERICIA rupe,
 Et pavidis etiam nunc abdita volvitur undis.
 Gloma, nec ingentem prorsus posuere pavorem,
 Norvaga rura suum. Jam nostris subdita sceptris
 Regna forent. Non subscripsit conatibus æther,
 Et plumbum fatale volat - - - - -

Hi fontes Augusta Tui, quibus ordine pulchro
 Annumeranda venis; Magnorum hæc stemmata Divum
 Indigetum, cunctis memorandaque nomina fastis.
 Huic soror, huic abneptis, huic quoque filia Regi



Diceris, & tantos titulos partiris avorum.
Neptis Avo, Fratre & Germana, & digna Parente
Filia, Maternæ constans virtutis imago.

Ergo aderat promissa dies, Permesside in umbra
Quam cecinisse Themin, veteris monumenta loquuntur
Ogygiæ, nec adhuc cæcis reboabat ab antris,
Imprægnata DEO Vates, arcana resolvens,
Fatidicisque vomens perplexa oracula labris.
Jamque utero turgescere infans, ~~jam~~ semina stirpis
Cœlestis, Diæ latitantia carcere Matris,
Poscere dilatam maturis mensibus horam,
Et lucem jam velle suam. Descendit Olympo
Obstetrix Lucina Dea. Vix cœpta vocari,
Adfuit, ætheriosque levavit sospita partus.

Intravit Regina orbem, magnumque futuris
Temporibus latura decus, jam vescier auris
Incipit & lætum radios diffundit in arcton.

Diffugerant toto jam noctis lumina cœlo,
Unum restabat (visu mirabile) sidus.
Arctox veteres signum dixere coronæ,
Terque super cunas facili dedit omina gyro
Regales, radiat gemmis atque igne coruscant
Sidereo, Augustam veluti cinctura jacentem.
Inscius é vulgo stupuit spectator, & ipsi
Suspensi haud capiunt, cœli miracula mystæ.

Est ubi monstratis, divina potentia signis,
Excitat humanas mentes; seu æthere in alto

Suspen-



Suspensis per inane notis; sive æquore, & ipsis
 Obscuris pandit terræ portenta sub antris.
 Spes, metus, in dubio est; nutantque incerta futuri
 Pectora, sæpe alios præsumit ab omine casus,
 Mortalisque errans fallaci in imagine visus.
 Hic manifesta fides: Imponunt astra coronam
 Nascenti Regina, Tibi, præludit & axis
 Arctoi populi, peragens solennia, votis.


Moxque dato signo; valvis visuntur apertis
 Atria celsa Deum, patuerunt cardine moto,
 Cælorumque fores, sedesque augusta Tonantis.
 Ac toto primum vibrari lumen ab axe,
 Et luce insolita placidas diffundere flammæ;
 Non aliter multo, quam cum micat æthere fulgur
 Innocuum; nubes nec rauca tonitrua frangunt.
 Inde polo Divas sensim dilabier alto.
 Prima Jovis Conjux, pavonibus aera pictis
 Ingreditur curru aurato. Præit ordine pulchro
 Nuntia grata Deæ, roseo Taumantias ore,
 Et picturato cælum distinxit amictu.
 Quacunq; incedit, cœlestes fusa per artus, h
 Ambrosia & divinum spirat Nectar odorem.
 Constitit ad cunas Regina munera promens:
 Intextum radiat gemmis fulgentibus aurum,
 Regale & diadema manu, pavidosque læcessit
 Solis equos; Sceptrumque ferens, non fulminis igne
 Inferiore micans, totasque exhausserat undas,



Inde opulente tuas, Erythræi & litora ponti.
Cresce, inquit Regina Infans. Hoc munere donat
Te cœlum. Hac olim Gothicis fulgescere corona
Terris. Hoc sceptro, regalia jura futuris
Civibus exerce, fidamque tuebere gentem.
Dixit: & in patulum cœli orbem Diva recessit.
Ordine quæque suo mox cætera turba Dearum
Æmula, divinis cumulant cunabula Donis.
Ast magni Pallas decus ingeniumque Parentis,
Gorgonea divum cui spirat ab Ægide pectus,
Mirando attraxit spectantum lumina texto.
Munera nascenti Regina. Haud clarius ullum
Vidit ab ætherea proles Hyperionis arce.
Sæpe laborantem nocturno lumine Phæbe
Obstupuit lustrata diu: Nam pollice sæpe
Dædaleo sudans lassaverat astra tuendo.

Stabat scena Ducum antiquorum Augusta, Trionum
Qui primum ingressi Svionum sub sidere terras,
Æquævique senes saturno, & prisca *Magogis*
Canities multumque obscura in nube fedebat.
Atque *Asia* duplex *Athinus* gente profectus.
Tum nostris multum propioraque tempora seclis:
Prostratam Romam, Capitolia subdita, totum
Et prope sub Gothicis complexum fascibus orbem.
Finxerat ætherea Tritonia staminis arte.

Imprimis solum ULRICÆ, non inscia secli
Venturi, distinctum auro gemmisque coruscis,



Fecerat, & crebra varians velarat oliva.
 Illam fatalis scandentem sed's honorem
 Aspiceres, vigor idem oculis, eadem ora notares
 Divæ, insculpta notis pietatis. Tota refulsit
 Majestate pari, Augusto clementia vultu.
 Vertice regali fulgens diadema coruscat,
 Et positis arctos geminas ex ordine gemmis,
 Stellatus scintillat apex: Dum nobile sceptrum,
 Dextra tenet, pariterque graves moderatur habenas.
 Stat circum excelsis innixa Orchæstra columnis,
 Svecorum sedes procerum, sanctique senatus,
 Consiliis senioque Patres, quos longior usus
 Fecerat, & seris veniens sapientia ab annis.
 His quicquid Curiis sanctum, venerabile quicquid
 Fabriciis Fabiisque fuit, magnoque Catoni,
 Vultibus addiderat, laudisque insignia prisca.
 Inde Deæ ad solium langventi svecia passu
 Accedit, pullato terram sirmate verrens.
 Illam rorantem lachrymis, & pectora palmis
 Plangentem adspiceres, mox latus sumere vultus,
 Augustæ adspectu, & veterem deponere luctum.
 Tum scissas vestes avulsaque membra videres,
 (Artis opus miræ) partim ipsis surgere truncis,
 Hinc, illinc reparata; alia imperfecta relinqui.
 Post Matrem, series proles dilecta quaternæ
 Ordine quæque suo, dignissima Matre propago,
 Quarum quæ dotata magis, quæ maxima natu



Nobilitas, matri it propior, facieque decora
Emicat, & toto spirat de pectore honestum.
Non tumido incessu, non vano turgida flatu,
Suspensio aut naso, vel dente insignior atro.
Lumine sed placido, peregrini haud indiga cultus
Ora ferens, primaque genas lanugine frondens.
Abdiderat galea frontem, quam multa decorat
Laurus, & insignis foliis victricibus ambit
Palma virens, cristato vertex fulget ab auro.
Mammis illa tenus, dextrum nudata lacertum
Ibat, & a læva rigidum suspenderat enssem.
Læva orbem ingentem clypei tenet, altera vibrat,
Aut visa est hastam vibrare: gemiscere credas
Auras, multiplici gyro celerique rotatas.
Os humerosque Deæ similis, Tritonia qualis,
Staminis Ipsa Autor, Diva aut Dictynna pharetram
Cum movet, & gradiens Comites supereminet omnes

Inde subit nutrix animarum, Clericus ordo,
Templorumque Vigil, sanctæ sub imagine Vatis.
Larva procul, mentita procul spectacula vultus.
Non frontem rugarat iners simulatio, quæ se,
Nunc alia atque alia transformis adulterat arte.
Non amino discors vultus, non pectora fronti,
Non personatis inservit mobile scenis
Ingenium, graditur gressu veneranda modesto.
Non candor peregrinus erat, non lumina fastus
Sustulerat, nec amor lucri radiabat ocellis.



Erecta est Divæ facies, cœlumque tueri
 Audax, & puro venerari numina thure.
 Infula cui nitidos advelat candida crines.
 Purpurea interstincta crucis resplendet imago.
 Horrida terrentis manus altera, fulmina legis
 Vibrat, fatidicique Sinæa tonitrua Jovæ.
 Altera dulce fidei secretum, in sanguine Christi
 Justificæ, humanæ mysteria certa salutis
 Pandit, jactando & cœlestes ventilat auras
 Divini foliis, motoque volumine libri.
 Tum validas claves cœlorum, pendula portat,
 Claudentem hanc, illam solventem aurata catena.

Tertius insequitur dein Vatem Civicus ordo.
 Tertia vis & amor, charæque & robur alumna.
 Najas erat specie, fluviali qualis ab unda
 Leucothoe surgens; aut fluctus cœrula scindens
 Cymodoce, navemque manu exsultante ferebat,
 Mercibus Eois onustam & divitis austru.

Hinc agmen properat claudens, extrema sororum
 Agresti simplex cultu, cinctuque Gabino.
 Villosus capiti petasus, circumflua galli
 Quem cauda insignit probe, ligulæque rubentes.
 Tum tunicam nigræ factam de vellere galbæ,
 Hirsutis aptat membris, rigidisque lacertis.
 Horrent falce manus, & adunci pondere aratri,
 Rustica Nympha fuit, patiens Agenoria qualis.
 Montani aut qualis Conjunx lectissima Fauni.
 Hinc series permixta Virum plebisque patrumque,



Magnanimique Duces, quibus ora virilia pulchris
Belli inscripta notis, & adhuc sordentia palmæ
Pulvere Sarmaticæ, desudatisque tropæis,
Spectantur: Fremitus audire & murmura campo,
Tum mixtos sonitus vulgi plaususque putares.

At parte ex alia texti, Cytherea videndam
Se dedit, arctoi quamvis metuentior astri,
Vecta levi curru, mollesque ad frena columbæ.
Hæssiaci a tergo, montesque urbesque domique.
Unde decus magnum abstulerat, majusque tropæis
Omnibus, Alcidis post pectora victa, triumphum,
Captivus Divæ clausit latus. Ipse triumphos
Vix potis est numerare suos, FREDERICUS, avorum
Gloria, & excelsi proles primæva Parentis.
PRINCEPS, Mavorti solitus Comes ire per orbem
Pepe triumphatum. Cui multo sanguine Rhenus
Erubuit, crudoque vomens sua flumina tabo,
Gallorum exuvias Rutupinis miscuit undis.
Indomitum hunc armis, seque & Mavorte ferocem,
Blanda Venus solita captans devicerat arte.
Dumque has promeruit genetrix Amathuntia palmas
Filius Ogygias agilis trajecerat undas,
Reginam innuptæ tractantem Palladis artes,
Vulnerat, aurato stringens præcordia telo.
Hinc Natus, Genetrix illinc, spolia ampla ferentes
Occurrant; patuloque cadens Hymenæus ab axe,
Regales animas æterna in fœdera jungit.



Ludunt in numeros Nymphæ ducuntque choreas
 Melerides, nunc molle latus, nunc candida jactant
 Brachia, & alterna quatiunt vestigia planta.
 Plausibus aula strepit; totosque effusa per agros
 Agmina tripudiis glomerantur, & æthera votis
 Findentes, celebrant cœlestis fœdera lecti.

Ecce jugis delapsa suis, Cyrrhaque relicta,
 Calliope adventat; citharamque & mollia plectra
 Ducens, insequitur mox cœtera turba Dearum.
 Illi dulce melos canitur, lyra nobilis illi
 Molle sonat; spirat gratum cava tibia carmen
 Laudibus Augustæ prægnans, nec barbata plectris
 Mota silent, tremulaque sonant testudine chordæ
 MÆCENAS medius procerum confurgit, & ore
 Facundo, tota & distillans flumina suadæ,
 Causam orat solita facilis dulcedine Divum.
 Multa Viri gravitas, Augustæ gratia multa,
 Multus honos frontis. O quantum Judice tali,
 Gloria succrescat doctrinæ! O quanta Camœnis
 Gaudia! quæ steriles iterum revirescere lauros,
 Parnasso exultante dabunt. En clausa sororum
 Antra patent, lentumque invitant præmia Phæbum.
 Erigitur rursus tanto vis enthea vatium
 Præsides, & excelsa contingit vertice cœlum.
 Non medius posthac virtuti ostenditur unguis.
 Non durum magnis paupertas incubat onus
 Ingeniis, tenebrisque & cæco carcere claudit,



Interea extremo gratatum ex orbe frequentes
Legati adveniunt, quos vel Germania faustis
Omnibus misit, vel quos fœcunda Virorum
Gallia & assumtas mutare facillima vestes,
Ornarat, vel quos circumfluis Albion undis,
Et triplici regnum fulgens diadematis auro,
Ablegat; Instabilis meditatatur Sarmata olivam,
Et trahitur pacis lenta in consortia Cimber.
Moschus abest, & dira atrox incendia miscet,
Exitium populis ingens, pestisque luesque.
At quibus incumbam diris, quas imprecer autem
Fax Erebæa tibi, pro tam furialibus ausis?
Si desunt pœnæ, si mitior explicat unguis
Tisiphone, insurgitque flagris; Ixionis orbes
Nec metuis; nec vultur edax fera pectora terret;
At famæ æternum dedecus Te, Mosche, manebit.
Fidæ autem coeunt æterna in fœdera gentes,
Junguntur sociæ dextræ; pariterque tumultus,
Et strepitus cessant bellorum; abolenda nefandæ
Bellonæ monumenta igni traduntur, & ætas
Armis turbatas mulcet saturnia terras,

Hæc facies texti insignis, hæc mûnera divæ
Palladis; his Patrium repetit Tritonia cœlum
Oblatis, claraque volans in luce refulsit.
Clauduntur cœli portæ, spectacula cessant,
Insolitum lumen Phæbi absorbetur ab igne.
Non aliter quam cum festo intervalla teatro

Ad-



Adventant, actoque silent proscenia ludo,
Spectantum visus aulæ cadentia frangunt.

Sed Tibi pacatum spondent cui sidera mundum,
Diva, cui triplices nent mollia fata sorores.
Major avis tantum excelsis, innoxia quantum
Pax bello melior. Tibi sævi limina jani
Claudentur, frondensque aeternum crescit oliva.
Magnum est victrici Capitolia scandere curru,
Prostratosque videre hostes, & nescia vinci
Fortiaque erectis opponere pectora signis,
Et castris habitare suis, & longa triumphis
Secula, suspensisque annos numerare trophæis.
Dulcius est pacis nomen, bellisque per orbem
Compositis, tuta traducere læta quiete
Tempora, tranquillosque odiis cessantibus annos.
Nulla salus bello; stygio quod fœta Tyranno,
Intèr avernales discordia pessima pestes
Adverso genitum cœlo, protraxit in orbem.
Protinus insano cecinerunt classica campo,
Auditumque tubæ murmur ferale per arva.
Buccina tum primum prælusit rauca futuris
Stragibus, & tóto sævi fulsere Dracones
Æquore, surrexitque seges clypeata virorum.
Vibrati infestis enses & tela lacertis.
Tum primum humano rubuit de sanguine ferrum,
Fœdatur sanie tellus, fluit unda cruore,
Errant per stygias inhumatis ossibus umbræ



Cæforum ripas; queis fessam portitor alnum
Subtrahit atque addit longos erroribus annos.
Sic pacem terris spretam haud habuere sub orco,
Pugnaces hominum manes. Crinita per axem,
Tum primum haud micuit frustra, caudamque vibravit
Stella; sed irato miseris genus omne malorum,
Præcipitat cælo mortalibus. Ingruit atrox
Esuries, vacuisque molesta jejunia ventris;
Tum morbi violenta lues, pecudumque h ominumque
Confusæ mortes, omnique in limine luctus.

Te vero ætatis primæ & vernantis imago,
Quam peperit divo prægnans concordia fœtu,
Aurea Pax, rebus præstans alimenta creandis.
Queis ego te sanctam titulis, quo nomine maectem?
Te sine nil cælo venerabile, te sine terris
Nulla quies. Certis tu semper sidera nectis
Ordinibus, solita firmas statione Booten,
Et Duce te stabilem Cynosura rotatur in orbem.
Tu noctis lucisque vices distinguis, & ortum
Dividis occasu, fundat quod divite cornu,
Ver flores, ætas fructus, maturior atas
Autumni, segetes, sterilis solatia brumæ,
Muneris omne tui est; Tu summis infima jungis
Fœdere perpetuo. Sociis fomentaque terris,
Te sponsore polus mittit, thalamumque maritus
Conjugis in gremium stillans, fœcundat amata.
Te nullis egeant cingentibus oppida muris



Aut vigili, Tutrice, manu. Tu legibus addis
 Robur, & indomiti veniunt ad fræna leones
 Nuta diva tuo. Furiis procul orbe remotis,
 Astræam cœlo arcessis; cœlestibus illa
 Accelerat stipata choris, & fronte serenâ,
 Aspicit attonitum justis sub fascibus orbem.
 Electo sedet inconcussa Ecclesia cœtu,
 Jam templis immota suis; & divite cultu,
 Accendit pia thura DEO, vexataque nullis
 Turbinibus, sacri solatia percipit oris.
 Cingit utrumque latus pietas, summoque Tonanti
 Æternum devotus honos, & candida purâ
 Veste fides, celsi referans penetralia cœli.
 Omnibus insurgunt pacatis gaudia terris;
 Quicquid triste procul, procul atrii insignia luctus
 Et pullata cohors, peplumque trahentia longè
 Agmina. Ferales raræque ad busta cupressi.
 At pompis latè genialibus atria fervent,
 Accenditque sacros Hymenæus mitior ignes:
 Jamque faces, tædæque micant, & flammea fulgent,
 Sternuntur thalami, fociisque amplexibus hærent
 Felices junctorum animæ, & sua gaudia miscent.
 Impiger interea currit mercator ad Indos,
 Atque alii largo ditescunt oppida cœli
 Munere; quicquid habet fulvis Pactolus in undis,
 Quicquid arena Tagi dives, longinquaque Gangis
 Flumina. Potofis foditur de montibus aurum,



Ceylon amœna sacros nobis diffundit odores,
Saccharaque & gratos Brassilia larga colores
Impertit. Texunt nobis aulæa Chineses,
Et pretiosa suis depexunt vellera Seres
Arboribus; pingvem Panchaia thuris honorem,
India mittit ebur, fulgentes India gemmas.
Descendit tutas pinus sylvestris in undas;
Nec medio profugas venatur in æquore puppes,
Infestis sulcans prædo freta cœrula remis
Cessat iniquus amor prædæ: Non cœca latrones
Lustra tegunt; impune tumet Viatore crumena
Tuto; nec densæ suspecta silentia silvæ.
Hospitibus manet alta quies; non Cacus in antro
Immani, exsultat spoliis crescitque rapinis.
Pascua læta virent, tutis armenta vagantur
Ordinibus. Liquidi deducit fontis ad undas
Jam saturas Melibœus oves, & flumina lactis,
Elicit agrestis, distento ex ubere Phylis.
Respondent avidis quantumvis magna colonis
Vota, suas tolerant & vix granaria messes.
Flava Ceres scandens currum, sinuosa Draconum
Membra regit, volucris qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frena venenis.
Frontem crista tegit, pingunt maculosa virentes
Terga notæ; rutilum squamis intermicat aurum.
Nunc spiris Zephyros tranant; nunc arva volatu
Inferiore secant: cano rota pulvere labens



Sulcatam fœcundat humum; flavescit aristas
 Orbita; surgentes condunt vestigia fruges.
 Non aliter fulvo micuerunt secla metallo,
 Saturno volvente orbis cunabula adulta
 Nondum; sed vegetæ gaudentem vere iuventæ.
 Tunc tellus communis erat. Tunc limite nullo
 Indivisus ager; nec vomere sulcus adunco
 Fissus, sed subitis gaudebat messor aristas.
 Rorabant querceta favis, stagnantia passim
 Vine oleique lacus fluitant; nec murice tinctis
 Velleribus quæsitus honos; sed sponte virebant
 Attonito Pastore greges; pontumque per omnem,
 Ridebant virides, gemmis nascentibus, algæ.
 Hæc divæ pacis facies, hæc munera spargit
 Gentibus; hi fructus; hæc germina læta; beatos
 Sic facit esse suos Cultores. Omnia rident
 Adventum testata Deæ. Mutantur adunco
 Vomere, crudeles humanis cædibus enses,
 Inque usus aratri cedunt fluitantia tabo
 Spicula, & imbellis formam tulit hasta securis
 Martia; nec rabida sudat Vulcanus in Æthna.
 Dura nec accensis candent fornacibus ara.
 Tu nobis exemplar ades; Tu nobile pacis
 HULDARICA tuis pignus; Te fessa peroptant
 Secula, bellorum domitricem. Sangvine rorat
 Arctos, atque aliquam poscit gemebunda quietem.
 Tu nostris medicina malis. Tu vulnera gentis
 Diva,



DIVA, tuæ, quod non ullis Podalirius herbis,
Sola fovere potes. Te letho proxima adorat
Svecia, crudelis inter confinia mortis,
Supplicibusque ambit lachrymans, Augusta, susurris:
Eripias tantis tandem cruciatibus ægram.
At pice quam densis albent nunc ossibus arva,
Undique desolata jacent quam mœnia; quantam
Heu! testis spargunt nostris, incendia lucem.
Quot vidui mœrent thalami; quot funera lugent
Exstinctæ bello prolis, largo imbres Parentes;
Quot matrum fusoque madescunt sanguine cunæ.
Ergo orbem intrasti, Svecis ULRICA regendis
Propitio selecta polo, fascisque capeffis;
Ut populi sub Te cessent suspiria pressi.
Ergo tuas viridi, nascentis cinxit oliva
Aurea Pax cunas; ut nostris otia regnis
Exsilio multata diu, tua cura referret.
Pro Te ergo assiduis venerentur numina votis.
Tot pro te precibus fufis lassabitur æther,
Fumabuntque pio Gottorum altaria thure.
Quid magis optandum fesso tot cladibus orbi,
Quam pia, quam clemens, superisque simillima Princeps?
Cui necis humanæ, cupido nihil addere Marti
Unica avaritia est, effundendoque cruori
Parcere, nec stygiam nauo cumulare carinam.
Cui magnos ratione animos, frenare magistra
Regnandi auspicium; & primas sibi dicere leges.

Sper-





Spernere blanditias & cæcæ oracula fortis,
 Fallacisque Deæ nutus inmota tueri,
 Nec placido quamvis sua credere vela sereno.

Magne DEUS, Regum quo stat subnixa potestas,
 In quorum sacrata tui respundet imago
 Excelsis cœli solis; quo fonte redundat
 Majestas sceptrorum omnis; radiatque coronæ
 Lucidus, & stellarum imitator gemmeus ordo.
 Si lacero consultum orbi, si gentibus ire
 Summe velis; priscumque placet differre ruenti
 Naturæ Chaos; nec adhuc extrema minaris;
 Nec pereuntis adhuc spectatur fabula mundi;
 AUGUSTI capitis miti sit cura Tonanti!
 Huc votorum summa redit. Quid enim amplius optent,
 Publica vota boni, vel quid magis utile rebus?
 Da Pater, ut patriis olim quod abstulit annis,
 Imperio & nuper Germani, sanguinis ostrum,
 Ultero fundentis pro libertate suorum,
 Sæva colus Parcarum & inexorabile pensum,
 Gnata sororque sibi (non indiviosa precamur)
 Adnumeret! vincat fastos annosior omnes
 Gentis Diva suæ. Sint votis pondera!

D I X I.







www.books2ebooks.eu